





597  
1797, 3  
15

DISSERTATIO INAUGURALIS  
IVRIDICA  
PRINCIPIA GENERALIA  
DE CONSENSU  
CONTINENS

QVAM  
AVCTORITATE  
ILLVSTRIS IURECONSULTORVM  
ORDINIS  
IN  
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
AD  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE RITE  
OBTINENDOS HONORES  
DIE XVIII. SEPT. MDCCXCVII.  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR  
CAROLVS LVDOV. RVDOLPHVS  
L. B. de GEBHARDI  
BRVNOVICENSIS.

GOTTINGAE  
TYPIS H. M. CRAPE, ACAD. TYPOGR.



*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

E  
G  
iur  
hae  
titu  
flic  
pra  
  
gat  
du



## PROLEGOMENA.

Quum ad gradum doctoralem obtinendum cum publico tractatum iuris communicare me oporteat, diu haesitans, in quo consistat, tandem titulus de pactis, quam maxime practicus, obiectum talis tractatus mihi praebruit.

In tractatu ipso semper finxi, obligationibus ex consensu oriundis nondum satisfactum esse; nam si contra,  
*in*

in capitis tertii sectione prima non de  
impedimentis consensus, sed de restitu-  
tionibus in integrum mihi agendum  
fuisse. Hanc ob causam, quoad con-  
tractus qui solo consensu non perficiun-  
tur, pacta de ineundo contractu, ho-  
die obligatoria, in mente mihi fuerunt.

Caeterum hoc opusculum quale-  
cumque haud nova, sed quae adsint,  
in unum collata, continere, lubentes  
concedam.

CONSPECTVS LIBELLI.

CAPVT PRIMVM.

*De fundamento & divisione consensus.*

- §. 1. Introductio.
- §. 2. 3. A consensu pendet una ex duabus speciebus obligationum mediatarum. Notio consensus.
- §. 4. Certitudo est essentielle consensus. Origo eius.
- §. 5. De consensu praesumto.
- §. 6. Distinctio specierum consensus.
- §. 7. Transitus ad sequentia duo capita.

CAPVT SECVNDVM.

*De effectibus consensus.*

- §. 8. 9. Effectus in genere.
- §. 10. Effectus in specie.
- §. 11.

- §. 11. Num ratio divisionis contractuum in  
consensuales & eos, qui non solo consen-  
su perficiuntur, in eorum natura sita sit?  
§. 12. Quonam consensu quasicontractus ni-  
tuntur?  
§. 13. 1. Quasicontractus ad non entia perti-  
nent.  
§. 14. 2. Deficiente quamquam verba contra-  
ctus, obligationi tamen locus esse potest.  
§. 15. Exempla de iis, quae in §. 14. dicta  
sunt.

CAPVT TERTIVM.

*De his, quae consensum impediunt,  
& tollunt.*

SECTIO PRIMA.

*De impedimentis consensus.*

- §. 16. Introductio.  
§. 17. De ebris & furiosis.  
§. 18. De errore.  
§. 19. De dolo & contractu simulato.  
§. 20. De dolo tertii.



- num in  
consen-  
sita fit?  
tus ni-  
a perti-  
contra-  
potest,  
dicta
- §. 21. De impuberibus,  
§. 22. De puberibus nondum maioribus & pro-  
digis.  
§. 23. De metu.  
§. 24. Quid operatur iuramentum in casibus,  
§§. 17 - 23. propositis.

SECTIO SECUNDA.

*De modis tollendi consensum.*

- liunt,
- §. 25. Introductio.  
§. 26. De mutuo dissensu.  
§. 27. De dissensu unilaterali.  
§. 28. De clausula rebus sic stantibus.  
§. 29. De poenitentia.  
§. 30. De poenitentia in bilateralibus contra-  
ctibus.  
§. 31. De poenitentia in contractibus unilate-  
ralibus,

§. 21.

§. 32.



§. 32. Quid iure hodierno de poenitentia va-  
let?

§. 33. Num unilateraliter dissentire idcirco  
liceat, quia alter paciscens nihil utilitatis  
ex pacto percepturus est?

entia va  
idcirco  
utilitatis

---

PRINCIPIA GENERALIA  
DE CONSENSU.

---

CAPVT PRIMVM.  
DE FVNDAMENTO ET DIVI-  
SIONE CONSENSVS.

---

§. I.

*Introductio.*

Si contendimus, alterum nobis ali-  
quid debere, vana est petitio, nisi cum  
effectu civili petere possumus, i. e. ni-  
si ex legibus nobis facultas petendi

PRIN A orta



orta est moralis. Vi legum vero ius  
nobis competit vel mediate, i. e. non  
nisi facto interveniente cuius ope pro-  
xime is, de quo quaeritur ad praesta-  
tionem eius obligatur, quod petimus;  
vel immediate, i. e. absque tali facto  
interveniente, quod proximum obli-  
gationis fundamentum est.

## §. 2.

*A consensu pendet una ex duabus spe-  
ciebus obligationum mediatarum.*

*Notio consensus.*

Mediate aliquis obligari potest, vel  
promittendo, se aliquid praestare velle  
altero id acceptante; vel absque tali  
promissione. Illo casu consensus adest  
consistens in genere, in duorum vel  
plurium, libera voluntate, declaratio-  
ne

congrua, de una eademque re, con-  
 venientia. Deficiente libera volunta-  
 te, consensus cogitari nequit.

§. 3.

*Continuatio.*

Quod si aliquid promisi, alterque  
 acceptavit, mediate, & quidem per  
 consensum obligor. Quo forsan lector  
 offenditur, cum consensum iam ita de-  
 finiverim, uti plerumque pactum defi-  
 nitur. Sed cum ullum pactum abs-  
 que consensu cogitari nequeat a),  
 temperque, priusquam ad implendum  
 pactum aliquem condemnamus, quae-  
 ritio oritur: num consenserit? num  
 effectum civili, i. e. cum libera  
 voluntate consenserit? omni iure ad  
 rationem, ut ita dicam, rationis, un-

de implementum petitur, i. e. a  
 consensum, quo pactum nititur, vi cu  
 ius, reliquis requisitis haud deficien  
 tibus, implementum peti potest, r  
 dire mihi licet.

a) L. 1. §. 3. D. de pactis.

§. 4.

*Certitudo est essentielle consensus.*

*Origo eius.*

Qui ex consensu aliquid petit, ex  
 stentiam eius probare debet; certu  
 ergo facere debet, alterum quid pr  
 misisse. Certitudo vero oritur:

- I. Vel proxime ex verbis actibusq  
 eius, cuius consensum contendim
- II. Vel non, sed proxime ex aliis pr  
 babilibus rationibus, ex quibus o

legum consensus colligitur; minime vero ex verbis actibusve, qui ad id, quo consensus niti debet, spectant. Hoc modo orientem consensum, praesumptum vocamus.

Illo casu actus, quos consensus causa suscipimus, sunt:

A. Vel eiusmodi, ut de consensu immediate constet, si nimirum tam distinctus est, ut absque ratiocinatione liqueat. Huc omnia signa pertinent externa, quibus id, quod cogitamus, cum alteris communicare possumus. In declarationibus tam nuncupativis, quam scriptis, nec non in nutibus consistunt a). Talis consensus *expressus* vocatur.

A 3

B.

B. Vel actus eiusmodi sunt, ut mediate de consensu constet, i. e. u ex iis absque ullo dubio ope ratiocinationis consensus colligatur. Hoc casu *tacite* consentimus. Et quidem res, omiſſis aliis, secundum sequentes regulas aestimatur:

1. Qui tacet, ubi loqui potuisset debuisse, consentire videtur b)
2. Qui tacet, non utique fatetur sed tamen verum est, eum non negare c).
3. Semper qui non prohibet, proſe interveniri, mandare creditur d)

a) Glück Pandectencommentar. Tit. de p<sup>o</sup>ctis pag. 87.

b) L. 12. D. de eviſionib.

c) L. 142. D. de R. J.

d) L.



d) L. 60. D. eodem. In genere taciti consensus mentionem etiam faciunt: L. 2. L. 4. pr. L. 27. §. 9. D. & L. 2. C. de pactis.

§. 5.

*De consensu praesumpto.*

Qui, alterum sibi ex consensu praesumpto obligatum esse, contendit, probare debet a):

1. Vel regulam, cui convenienter alter semper agere solet.
2. Vel versionem in rem.
3. Vel quod alter finis alicuius persecutionem permiserit.
4. Vel singularem rationem, quam cum altero coniunctus est b).

a) Glück l. c. Tit. de pactis p. 102.

b) L. 35. pr. L. 40. §. 4. D. de procurat. & defens. L. 11. C. de pact. convent.

*Distinctio specierum consensus.*

Quatenus consensum tacitum & praesumptum ita consideramus, ut eorum existentia non directe, sed per consequentiam appareat a), utrumque expresso opponere possumus. Tacitus tamen & praesumptus inter se adeo differunt, ut melius sit, expressum coniunctum cum tacito, praesumpto opponere. Nam tacitus multoque magis expressus proxime ex verbis actibusque fluunt, qui contrahendi negotiationem habent; praesumptus vero proxime ex aliis probabilibus rationibus ope legum colligitur. Ad probationem existentiae praesumpti consensus iam sufficit, si unum ex illis casibus adesse evincimus, qui paragrapho antecedente

tecedente enumerati sunt; sed ad tacitum quod attinet, alleganti eum saepe difficilioribus mediis opus est; imo interdum tam difficilis probatio est, ut, si iuramenti praestatio denegetur, fieri plane nequeat. In regula taciti probationem difficiliorē esse, quam praesumpti, contendi posse credo, cum in probando tacito plerumque plurimum factorum fides facienda sit, scilicet eorum, unde originem habet.

- a) G. Ad. STRUVII syntagma iuris civilis, tit. de pactis p. 195. Pacta vero tacita & praesumpta, hinc quoque consensum tacitum & praesumptum, synonyma habet.

§. 7.

*Transitus ad sequentia duo capita.*

Tantum de origine & fundamentis consensus. Nunc in secundo capite

A 5 de

de eius vita, i. e. de effectibus verba  
facere me oportet. In tertio, exposi-  
tis impedimentis ipsius, de eius mor-  
te, i. e. de rationibus agam, ex qui-  
bus vel uterque, vel alteruter paciscen-  
tium dissentiente altero unilateraliter  
a consensu recedere potest.

CAPUT

## CAPUT SECUNDUM.

## DE EFFECTIBVS CONSENSVS.

## §. 8.

*Effectus in genere.*

Consensus, legitimis requisitis haud carens, pactum efficit, ideoque actionem exceptionemque parit a). Existente enim consensu, paciscentibus ius est quaesitum, implementum a se invicem exigendi b). Ita quidem a theoria iuris romani discedo, quod pacta, ius agendi haud producentia, offert. Sed iam Romani, in solis contractibus subsistere dubitantes, pacta vestita invenerunt.

a) STRYK u. m. Tit. de pact. §. 1. LEYSER spec. 39. m. 4-7.

b)

b) EISENHART teutsches Recht in Sprüch-  
wörtern 1792. pag. 341.

§. 9.

*Continuatio.*

Deficiente consensu, nec pactum  
nec contractus cogitari potest. Con-  
sensus ergo parens omnium pactorum  
contractuumque est (§. 3.) a).

Si non nisi hoc respectu effectus  
consensus contemplantur, cum tum  
eodem valore ad omnes contractus re-  
quiri, tum praeter eum nihil exigi,  
omni iure contendere licet. Tunc  
vero contractus consensuales soli  
nobis forent; tunc omnium perfectio  
a consensu penderet b).

a) LEYSER sp. 39. m. 3. L. I. §. 3. D. de  
pactis.

b) STRYK u. m. Tit. de pact. §. 7.

## §. 10.

*Effectus in specie.*

Aequalem omnium contractuum rationem esse dixi. Quod vero attinet ad perfectionem, aequalis non est, cum hoc respectu contractus in consensuales & eos dividantur, qui non solo consensu perficiuntur. Rem ita se habere constat; in quo vero ratio sita est?

## §. 11.

*Num ratio in natura contractuum sita sit?*

Ad quaestionem, cur omnes contractus solo consensu non perficiantur? mea opinione ex natura contractuum nulla responsio est. Fac enim, contractus consensuales solos bonae fidei esse,

esse, cum tamen secundum §. 28. J. *de action.* res sese haud ita habeat, reliquos omnes stricti iuris, tamen quaeri adhuc posset: cur locatio conductio sit consensualis, contractus commodati vero realis?

Forfan in consensualibus exceptio nondum adimpleti contractus locum non habet? omnino locum habet; & quamvis locum non haberet, tamen iterum, cur consensuales prae reliquis sint? quaereretur. Quaestionem in rubro propositam ergo non aliter solvi posse credo, nisi hoc modo: Divisionem contractuum in consensuales & in tales, qui non solo consensu perficiuntur, subtilitate romanorum iureconsultorum, argumentis carente, niti; rationem rei certe non



in philosophia, sed in historia eiusque  
eventis & vicissitudinibus quaeren-  
dam esse.

## §. 12.

*Quonam consensu quasicontractus  
nituntur?*

Qui quasi contractus statuit, sibi  
habeat pudorem, si quaeritur: quae-  
nam consensuum species eis originem  
det? cum dubium plane non sit, con-  
tractus sine consensu existere haud  
posse. Equidem nego existentiam  
quasicontractuum; & quidem:

quia ad non entia pertinent, &

quia obligati etiam absque contra-  
ctu esse possumus.

## §. 13.

*1. Quasicontractus ad nonentia  
pertinent.*

Cum defensores quasicontractuum  
primario omnes contractus in veros  
& quasicontractus dividant, hos con-  
tractus esse, affirmant. Ut vero con-  
tractus existat, primo & prae caeteris  
consensus requiritur a). Ubinam gen-  
tium vero consensum invenimus in  
iis negotiis, quae vulgo quasicontra-  
ctus, nomine quod in legibus hauri-  
occurrit, vocantur? Ubi ergo con-  
tractum? Regula, idem non posse  
mul esse & non esse, omni dubio  
exceptione caret. Inter defensores  
nonnulli sunt, qui, hoc reputant  
per leges consensum suppleri contem-  
duntur.

dunt. Hinc tam mirus consensus fi-  
ctus. Haec opinio vero contra con-  
sensus notionem est. Iam etiam inter  
omnes constat, multos dari casus, in  
quibus etiam, expresse quamquam dif-  
fidentis, obligatio est; imo saepe quem  
ex quasicontractu obligari, qui vi le-  
gis facultate consentiendi caret b).

Cum ergo consensus non solum in  
quasicontractibus deficiat, sed etiam  
fieri possit, ut quasicontractus, etiam si  
dissensus expressus sit, tamen ad exi-  
stentiam perveniant, quasicontractus  
esse nego, affirmo vero obligationes  
dari, quibus non minus nos satisfacere  
oportet, quam quae ex contractu  
descendunt, hasque ob similitudinem  
obligationes quasi ex contractu vocari  
posse.

B

a) L. I.

- a) L. I. §. 3. D. de pactis.  
 b) COCCENI IUS CIVILE controversum Tit. de  
 pactis qu. 12.

## §. 14.

2. *Deficiente quamquam verbo con-  
 tractus, obligationi tamen locus  
 esse potest.*

Verbis sumus faciles, nisi erro-  
 nituntur. Quid vero tam a vero alie-  
 num esse potest, quam rem propter  
 similitudinem, rei simili qua specie  
 opponere? Nomen quæ contractus  
 inutile esse, sequens, uti spero, con-  
 spectus origines obligationum conti-  
 nens, docebit.

Omnis obligatio oritur:

I: Uno respectu.

A. Vel ex legibus.

B. Vel ex naturali aequitate, & quidem.

1. Vel legibus non adiuvantibus a).
2. Vel legibus adiuvantibus.

II. Altero respectu.

A. Vel, haud interveniente scilicet facto obligatorio, ex variis causarum figuris b).

B. Vel interveniente facto obligatorio, quod consistit:

1. vel in celebratione contractus seu pacti.
2. vel non, sed in unilateraliter suscepto actu, ex quo vel ope legum, vel ope naturalis aequitatis, vel ope tam legum quam naturalis aequitatis obligatio oritur. Obligatio hoc casu oritur:

B 2

a.

a. uno respectu.

1) vel ex facto proprio,

2) vel ex facto alieno.

b. altero respectu.

1) vel ex facto licito.

2) vel ex facto illicito.

a) J. CLAPROTH Einleitung in den ordentl.  
bürgerl. Process, Th. I. Abth. I. §. 1.  
n. b. WEBER systematische Entwicklung  
der Lehre von der natürl. Verbindl. 1798  
§. 47.

b) L. I. pr. D. de O. & A.

§. 15.

*Ad exempla res revocatur.*

I. Exemplum obligationis, qua  
oritur ex variis causarum figuris.

Si quis in instrumenti possessione esse  
quo aliquid in utilitatem meam probare  
re possum, ex aequitate naturali a  
edendum obligatus est, excepto caso

tali, qui regulam: Quod mihi non nocet, & alteri prodest, ad id obligatus sum, excludit. Obligatio ad edendum oritur nec ex contractu; tunc enim vi contractus obligatus foret; nec ex tali facto, quod editioni causam dedit a).

ordentl

I. S. 1

wicklung

dl. 1795

r.

, qua

ris.

ne esse

tenetur.

proba

turali a

oto casu

tali

2. Exemplum obligationis, quae oritur ex facto proprio licito. — Qui hereditatem adiit, ad solvenda legata obligatus est; & quidem quia hereditatem adiit; nam cum legatariis haud contraxit. Ratio obligationis in eo sita est, quod leges iusserunt: Qui illud facit, etiam hoc necessario facere tenetur.

3. Exemplum obligationis, quae oritur ex facto proprio illicito. — Si

B 3 cuius-

cuiusdam corpori bonisve iniuste damnum infero, hoc resarcire debeo.

4. Exemplum obligationis, quae oritur ex facto alieno licito — Pupillus etiam finita tutela contractus tutore nomine illius iuste inuito ferre tenetur.

5. Exemplum obligationis, quae ex facto alieno illicito oritur. — Si quis ex mea domo effudendo deiciendove hominem laedit, ego a damni praestationem obligatus sum.

Ex his, quae in superioribus expressa sunt, consequens est, a quo contractus negem, quaestio solutio: quoniam consensu tantum? expectandam plane non esse.

a) Glück l. c. Tit. de edendo pag. 41.

CAP



## CAPUT TERTIUM.

DE HIS, QUAE CONSENSUM  
IMPEDIUNT ET TOLLUNT.

## SECTIO PRIMA.

DE IMPEDIMENTIS CONSEN-  
SUS.

§. 16.

*Introductio.*

Omnia, quae liberae voluntati im-  
pedimento sunt, etiam consensum im-  
pediunt. Libera voluntate vero quis  
definitus est vel ob defectum intelle-  
ctus, multo magis voluntatis; vel ob  
defectum voluntatis tantum.

I. Intellectu aliquis caret:

A. Vel in genere, i. e. si sana ratio-

B 4

ne

ne plane caret. Talis est ebrius, furiosus.

B. Vel si quis in contrahendo negotio, rem aliter se habere ac revera est, iuste crediderit. Talis est qui errore vel dolo capitur.

II. Voluntate tantum aliquis caret:

A. Vel ex legum dispositione. Huc pertinent:

1. Impuberes.
2. Qui sub cura sunt, v. c.
  - a. Puberes nondum maiores.
  - b. Prodigii.

B. Vel quia alter ad paciscendum coegit; quorum pertinent, qui metuque ducti sunt.

Iam de singulis figillatim dispendendum nobis est, in quantum per argumenti rationem licet,

§. 17.

*De ebriis & furiosis.*

Nescire, quid loquantur vel agant,  
qui nimis vino indulgere a), vel qui  
sana ratione haud gaudent, nota res est.  
Ergo nec libere agere possunt.

Ebrietatis tam varii sunt gradus,  
ut, quonam gradu libere quis agere  
nequeat, regulam constituere pericu-  
losum fit. Res ab arbitrio iudicis de-  
pendet.

Furiosum nullum negotium con-  
trahere posse, sancitum quamquam  
est b), indistincte tamen furore labo-  
rantem facultate consentiendi destitu-  
tum esse, contendere non licet; nam  
in lucido intervallo omninoabilitas  
adeft.

B 5

Scien-

Scienter cum ebrio furioso ve con-  
trahenti dolus imputari potest.

a) Can. 7. Caus. 15. qu. 1.

b) in L. 5. D. de R. J.

§. 18.

*De errore.*

Non consentiunt, qui errant — Qui  
enim tam contrarium consensui esse  
quam error, qui imperitiam detegit  
sunt verba Ulpiani in L. 15. D. de iur.  
risd. & in L. 116. §. 2. de R. J. Haec  
leges tam generalem regulam constitu-  
tuunt, ut omnis generis errorem legi-  
timum consensus impedimentum habere  
debeamus. Errans tamen, si totum  
factum rescindere vult, his legibus  
solis non vincet. Distinguendum  
enim est error causam dans ab incidente

te, porro invincibilis a vincibili. Er-  
ror tunc solum consensum eo effectu,  
ut totum negotium rescindatur, impe-  
dit, si causam dedit, i. e. si in essen-  
tialibus pacti situs est. Simili modo  
consensui error impedimento est, si  
erranti imputari nequit, minime vero  
si imputabilis est, quia hoc casu errans  
in culpa est, & damnum non intelli-  
gitur sentire, quod ex culpa sua sentit a).

a) L. 203. D. de R. J. c. 86. de R. J. in  
6to.

§. 19.

*De dolo & contractu simulato.*

Dolus est ex opinione Labeonis,  
quam Ulpianus laudavit, omnis calli-  
ditas, fallacia, machinatio ad circum-  
veniendum, fallendum, decipiendum  
alterum

alterum adhibita a). Non omnis vero potest  
 dolus pactum invalidum efficit, sed infici  
 inter dolum contractui causam dantem, vel al  
 & incidentem distinguere debemus, in fin  
 cum non nisi illius ratio habenda sit, lato d  
 si quis pactum ab dolum rescindere tium  
 vult. Nam L. 7. D. de dolo ait: Nul- pleri  
 lam esse venditionem, si in hoc ipso, mo d  
 ut venderet, circumscriptus est; ex a) L  
 quo regula patet: Nullum esse pactum  
 contractumve, si unus paciscentium in  
 hoc ipso, ut contraheret, ab altero  
 paciscente circumscriptus est.

Dolus etiam ex post obvenire potest  
 est, si nempe unus paciscentium aliter  
 altero contractus simulati implemen-  
 tum exigit. Simulatio enim in eo con-  
 sistit, quod aliud agamus, aliudque  
 cogitemus, & duplici modo adesse  
 potest.

potest, dum committitur vel ab uno  
 , sed incio altero; haec incidit in dolum;  
 ntem, vel ab utroque pacifcente, consentiente  
 emus, in simulationem, quae contractui simu-  
 da fit, lato originem dat. Si quis paciscen-  
 indere, tium ab altero talem contractum im-  
 Nul- pleri postulat, eum dolose agere, ne-  
 ipso, mo dubitabit.

a) L. 1. §. 2, D, de dolo malo.

§. 20.

*De dolo tertii.*

Hic adhuc quaestio oritur, quid  
 re pot- tertii dolus in contractu efficiat? Ni-  
 um ab- mirum an & quatenus talis dolus con-  
 emen- sensum impediatur? Sequentes casus hic,  
 o con- fallor, cogitari possunt, nempe:

Vel tertius erat mandatarius; &  
 quidem:

A.

- A. vel mandato convenienter egit.
- B. vel eius fines excessit & quidem
1. vel mandanti laesionem intulit.
    - a. vel ita, ut alter contrahens id sciverit.
    - b. vel ut non sciverit.
  2. vel alterum contrahentem laesit.
    - a. vel ita, ut mandans sciverit.
    - b. vel ut mandans haud sciverit.
- II: Vel tertius haud mandatarius erat.
- Hoc casu:
- A. uno respectu.
1. vel tertius causam contractu dedit.
  2. vel non, sed solummodo eius modificationem effecit.
- B. altero respectu.
1. vel is, qui haud laesus est scivit dolum tertii.
  2. vel non.



De casibus ita distinctis iam sigilla-  
tim agendum.

Si tertius qua mandatarius & man-  
dato convenienter egit, non est tertius,  
sed cum mandante pro una persona ha-  
bendus.

Si vero fines mandati excefferit  
(L. B.), non nisi in quantum fines ex-  
cesserit, pro tertio habendus, quamquam  
in eo casu, si mandanti laesionem in-  
tulit, distinguendum est, utrum scien-  
ter altero contrahente, an non, hoc  
factum sit. Nam si alter contrahens  
scivit, hic non minus dolose agit,  
quam mandatarius, ideoque mandans iam  
ex capite doli, ab altero contrahente  
re commissi, consensum revocare potest,  
non quidem in totum i. e. quoad inte-  
grum

grum negotium, nam ad hoc ineun-  
 dum consensum declaravit per manda-  
 tarium, sed in tantum, in quantum  
 haud mandavit.

Si mandans a mandatario, infici-  
 altero contrahente, laesus est, dubium  
 oritur cuiusnam effectus dolus sit tertii.  
 Doctores dissentiunt. Mea opinio  
 vero res omni dubio caret, quia leges  
 clara voce iubent: Mandantem haud  
 obligari, si mandatarius fines manda-  
 excefferit.

Nunc ad casum transeo, quo al-  
 contrahens dolo mandatarii laesus est,  
 qui iterum distinctionem admittit  
 utrum mandans id sciverit, an non.

Si sciente mandante factum est,  
 mandans dolose agit, ideoque al-  
 contrahentem

contrahens, plane doli mandatarii rationem non habens, mandanti dolum imputat, idemque agit, ac si mandans ipse dolum commisisset.

Inscio vero mandante si alter contrahens a mandatario laesus est, dubium de effectu doli oritur. Sed negotium dubium etiam hoc in casu, quia inter contrahentes aliquid constitutum est absque consensu, & solummodo per factum hominis, cuius mandatum non eo tendit, quod proprio ausu aliquem contrahentium obligare possit.

Expositis his, quae dolus tertii efficiat, si mandatarius est, ad eum casum transeo, si plane mandato caret.

Primo igitur fingamus, causam contractui dolum tertii dedisse, & quidem

C

dem

dem cum distinctione, utrum is con-  
trahens qui haud laesus est, id scive-  
rit, an non.

Illo casu non laesa pars non minus  
dolosè agit, ac tertius, & tertio so-  
lummodo qua medio ad finem conse-  
quendum utitur. Ergo eadem hic va-  
lent, quae de dolo unius contrahen-  
tium supra dicta sunt.

Si vero non laesa pars dolum tertius  
non sciverit, contractum nullum esse  
ex principiis, quae de consensu va-  
lent, etiam contendo, si nempe laesa  
parti imputari nequit, quod deceptus  
sit. Nam dolum tertii errori invincibili  
tunc causam dedit, qui nunquam  
nocet b).

Secundo loco fingamus, tertii do-  
lum solummodo effecisse, ut contra-

ctus non intentioni contrahentium  
 convenienter initus sit. Hic, praeter-  
 misso casu, quo non laesa pars, tertium  
 dolose agere, sciverit, quia tunc ipsa  
 dolose agit, adhuc de eo agam si ter-  
 tius ignorante non laesa parte dolum  
 committit. Dolus hic quidem non  
 incidens adest, ideoque non impe-  
 dit, quo minus paciscentes contrahe-  
 rent. Cum vero laesa pars in errore  
 invincibili versetur, ideoque consensu  
 non gaudeat, omni iure contendo,  
 contractum primum nullum esse, sed  
 laesam partem ad novum contractum  
 recipiendum, qui intentioni primariae  
 contrahentium consentaneus est, a  
 non laesa parte cogi posse.

a) L. 5. D. mandati. L. 1. §. 3. D. de ex-  
 cept. rei vend. & trad. L. 10. C. de pro-  
 curat.

C 2

b) L.

b) L. 15. D. de iurisd. L. 116. §. 2. D.  
de R. J.

§. 21.

*De impuberibus.*

Impuberes dicuntur, qui, si mares, cum  
annos quatuordecim, si feminae, duodecim  
decim nondum expleverunt. Impuberes  
beres sui iuris sub tutela sunt ob defectum  
fectum consensus, quem tutor suscipere  
plet a). Cum iis ergo consensus delibet  
ficiat, non solum civiliter, sed haec in  
raro naturaliter, obligationes per consensus  
sensum quoque in se recipere neque boni  
unt; bene vero alios sibi obligantur.

a) L. 32. §. 2. D. de acquir. & amitt. tut.  
b) pr. J. de autorit. tutor. L. 9. pr. D. de  
dem. L. 1. C. de autorit. praesf.

§. 22.

*De puberibus nondum maioribus  
& prodigis.*

Simulac homines sui iuris respecti-  
ve annum decimum quartum & duode-  
cimimum expleverunt, civiliter consen-  
sire habiles fiunt. Si vero curae sub-  
iacti sunt, facultas consentiendi restricta  
est, ita ut in regula non nisi autoritate  
curatoris obligationes in se recipere iis  
licet. Nam L. 3. C. de in int. rest.  
tales puberes inter maiorenes  
referunt, quibus a praetore curatore dato  
bonis interdictum est, v. c. prodigis ci-  
vilitate talibus. Hi ergo etiam facultate  
consentiendi haud gaudent, nam sub  
curae sunt. In legibus quamquam pro-  
digis furiosis saepe aequiparantur, aptius  
tamen cum minoribus eos conferre mi-

C 3

hī

hi videtur, quia non intellectu, sed  
sola voluntate carent a). Non minus  
quam minores, sibi alios, minime  
vero se alteris obligare possunt b).

a) L. 40. D. de R. J.

b) L. 6. D. de V. O.

§. 23.

*De metu.*

Etiamsi per leges haud expressum  
foret, vi extortum consensum nullum  
esse ab defectum liberae voluntatis  
tamen iam per se intelligeretur a  
Voet b) quidem ait: *Consentire enim  
qui metu conterritus quid fecit, ratio  
sana docet.* Sed quam falso de hoc  
iudicaverit, ex ratione, ab ipso allegata,  
ta, apparet: *Eligit, inquit, nempe  
duobus malis minimum, rem tradere*



u, sed *non vult, & bona amittere, quam vul-*  
*nera aliamve iniuriam maiorem*  
*minime pati &c.*

b). Non omnis vero generis metus con-  
 sensui impedimento est, quamquam  
 Paulus c) in genere dixit: *Quod me-*  
*tus causa gestum erit, nullo tempore*  
*praetor ratum habebit.* Sed requiritur:

1. ut non sit vanus, i. e. ut talis  
 non sit, qui in constantem homi-  
 nem haud cadit d). Quando va-  
 nus sit, ab arbitrio iudicis pen-  
 det e).

2. ut vi iniusta illatus sit f).

3. ut praesens sit metus g).

a) L. 116. pr. D. de R. J.

b) in commentario ad D. tit. quod metus  
 causa §. 1.

c) L. 21. §. 1. D. quod met. causa.

d) L. 184. D. de R. J. L. 5. 6. D. quod  
 met. causa.

C 4

e)

- e) arg. L. 3. D. ex quib. caus. maiores.  
 f) L. 3. §. 1. L. 21. pr. D. quod met. causa.  
 g) L. 9. pr. D. eodem.

## §. 24.

*Quid operatur iuramentum in casibus,  
 §§. 17-23. propositis?*

Responsioni ad quaestionem: Num  
 iuramenti effectus tantus sit, ut con-  
 sensum deficientem supplere possit? hic  
 locum esse, non dubito.

Iuramentum, quatenus pacto con-  
 firmando inservit, res est accessoria;  
 constitutio vero pacti ipsius, princi-  
 palis. Ergo videri posset, ac si hic  
 regulam sequi liceret: corruente prin-  
 cipali, corrui accessorium. At iura-  
 menti praestatio actus est religiosus  
 & iniunctum nobis est illud: *Omnino  
 iuramentum servandum esse, quod salu-  
 va salute aeterna servari potest a).*

Utrou

Utraque vero regula huc non pertinet, sed utrum iuramentum obligationes involvat, an non, videndum:

1. num pactum in praeiudicium tertii in initum fit b).
2. num iuri prohibitivo pactum contrarium fit c).
3. num iurans ad actum religiosum celebrandum habilis fuerit.
4. num libera voluntate iuratum d).
5. num iurans plane obligationes in se suscipere possit.

Ex hisce apparet, colligere me posse, quod in casibus supra propositis At iuramenti non sit tantus effectus, ut religiosus pactum semel invalidum, validum fieri possit. Excipio vero contractum simulatum (§. 19.), qui per iuramentum, simulati naturam amittit, & verum fit.

Quamquam enim contrahentibus licet  
 in eo convenire, quod aliud cogitent  
 aliudque agant, & secundum cogita-  
 tiones agant, tamen iuramento abut-  
 eis haud licet, quod certe fit, si iuranti  
 sibi obligatos hoc vel illo modo esse  
 velle, anteaque in eo convenerunt  
 quod vel plane sibi obligati esse nolint  
 vel haud ita, uti iuramento promittent  
 Haecce probant, iuramentum, mini-  
 me vi regulae: corruente principali  
 corruere accessorium; effectu destitutum  
 quatenus confirmationi pacti invali-  
 fervire debet.

- a) C. 28. X. de iurei.
- b) C. 28. cit.
- c) C. 58. de R. J. in 6to.
- d) C. 28. X. de iurei.

SECTIO SECUNDA.  
DE MODIS TOLLENDI CON-  
SENSVM.

§. 25.

*Introductio.*

Pacta legitimo modo inita servanda  
ideoque adimplenda esse, est regula  
non solum a legibus, sed quoque a  
sana ratione praescripta. Fieri tamen  
potest, ut vel uterque paciscens una-  
nimiter a), vel alteruter solus consen-  
sum ita revocet, ut non fiat, quod vi  
pacti fieri debeat. In utroque casu  
dissensus adest, & quidem illo mutuus  
sive contrarius b), hoc vero unilate-  
ralis.

a) Tit. C. quando liceat ab emtione discedere.

§. 4. J. quibus mod. tollitur obligatio.

b) L. 35, D. de R. J.

§. 26.

*De mutuo dissensu.*

Mutuus dissensus est species consensus, & non nisi in eo ab hoc differt, quod consensum antecedentem praesupponat. Quod ergo de consensu dictum est, etiam de dissensu mutuo valet. Notare tantum me oportet, ex hoc non nisi exceptionem oriri, actionem vero numquam, id quod per se iam intelligitur.

*De dissensu unilaterali.*

A consensu rite semel declarato non nisi ex iusta causa unilateraliter recedere possumus. Iusta causa sita est

- I. Vel in eo, quod clausulae rebus sic stantibus locus sit.

2. Vel in iure poenitendi.
3. Vel in eo, quod praestatio promissi inutilis sit.

§. 28.

*De clausula rebus sic stantibus.*

De clausula rebus sic stantibus tunc sermo est, si eventus post rite declaratum consensum supervenere, qui tantum ad consensum pertinent, ut pactum vel totum corruat, vel mutationes & emendationes subeat. Eventus ipsi:

1. vel tales sunt, ut ex iis appareat, paciscentes ad eos consensum tacite retulisse:
  - a. vel qua conditiones resolutivas.
  - b. vel qua conditiones in solo modo & via contrahendi.
2. vel tales non sunt.

Priori

Priori casu diffensus adest mutuus tacitus; qui iam tempore initi contractus in lege ipsius latuit.

Posteriori vero casu diffensus unilateralis tunc solummodo locum habet si iustae i. e. in legibus approbatae causae recedendi adfunt.

Leges partim regulas, partim casus concretos continent. Ex hisce regulas abstrahere haud licet, quia casus singulares, ideoque strictae interpretationis sunt.

Ex regulis in medium profero duas quae continentur hac distinctione. Fieri nimirum potest:

- I. vel ut praestatio promissi plane impossibilis fiat a).



2. vel ut solummodo ratione promittentis promissi exitus non detur ob statum eius mutatum, quia hoc casu consensus tertii adhuc requiritur b).

Casus concretos, qui in iure nostro obveniunt, lector in legibus infra c) allegatis inveniet. Leges quidem iam complementum praesupponunt; quam ob rem ad dissensum unilateralem eas non trahendas esse, monitus mihi videor. Sed ubi rem iam traditam recuperare, vel ubi implementi praestationem inchoatam haud finire licet, eo magis re adhuc integra in hisce casibus diffinitur licebit.

a) L. 182. 185. D. de R. J. L. 1. §. 4. D. de O. & Act. L. 2. D. de peric. & com. mod. rei vend. §. 3. J. de usufr. a ver. bis: Eo amplius constat &c. L. 5. §. 2. D. quib. mod. usufr. amitt.

b)

- b) L. 38. pr. D. de solut. arg. L. 8. C. de revocand. donat. L. 5. C. de inoff. donat. L. 4. §. 1. L. 63. §. 10. D. pro socio.
- c) L. 2. C. de resc. vend. L. 3. C. de locato L. 27. §. 1. D. locati. Has solas esse leges, quae casus concretos huc pertinentes contineant, haud contendere velim.

§. 29.

*De poenitentia.*

Poenitentiam, iusta causa haud suffultam, admittere non licet, quia alia pacta, uti per se intelligitur, fere nullam quam obligationem involverent. Utrum poenitentiae locus sit, an non, si quaeritur, distinguenda sunt pacta bilateralia ab unilateralibus, &:

- I. In bilateralibus videndum est:  
 A. utrum non nisi alterutra pars impleverit. Hoc casu:

1. vel poenitentia a parte eius,  
qui implevit, impossibilis est.

2. vel poenitentia haud est impos-  
sibilis.

B. an neutra impleverit.

II. In unilateralibus videndum:

A. utrum promittens obligationi  
suae satisfecerit. Tunc poeniten-  
tia:

1. vel impossibilis est.

2. vel possibilis, & quidem:

a. vel licita.

b. vel illicita.

B. an nondum satisfecerit.

Iam de singulis, quos recensui,  
casibus paulo fufius differe ex re mihi  
videtur.

§. 30.

*De poenitentia in bilateralibus con-  
tractibus.*

Poenitentia impossibilis est, si fa-  
ctum promissum & iam impletum est;

D

nam

nam facta infecta fieri nequeunt. Hoc casu alteram partem eo magis ad praestandum id, quod ei incumbit, obligatam esse, nemo dubitabit. Alia omnino res est, si is, qui obligationi satisfecit, alteri parti praestationem remittit. Tunc vero poenitentiam eius, qui nondum implevit, hoc efficere, proprie dici nequit, sed potius indulgentiam eius qui iam implevit.

Impossibilis contra non est poenitentia, si obligatio in dando consistit &, qui rem promittit, eam iam tradidit. Num vero hic locus poenitentiae sit, si quaeritur, distinguere me oportet iure romano, inter contractus nominatos & innominatos. In nominatis poenitentiam ius romanum, a parte eius, qui implevit, non admittit, in quoque non magis accipienti poenitentiae licet

licet  
qui d  
via n  
S  
satisf  
poen  
tenti  
adim  
nemo  
sensu  
pactu  
a) L  
de  
b) I  
fa  
De po  
Pa  
gation  
endo  
quae  
lic

licet a). In innominatis contra ei,  
qui obligationi satisfecit, poenitentiae  
via non praeclusa est b).

Si neuter paciscentium obligationi  
satisfecerit, ne quaestioni quidem de  
poenitentia locus est. Nam tunc pe-  
niti implementum exceptio nondum  
adimpleti contractus obstat. Nam si  
nemo primus adimplere vult, per dif-  
fensum mutuam tacitum tollitur  
pactum.

a) L. 8. C. de contr. emt. verd. L. 14. C.  
de resc. vend. L. 5. C. de O. & A.

b) L. 3. §. 2. D. de condict. causa data cau-  
sa non secuta.

§. 31.

*De poenitentia in contractibus unila-  
teralibus.*

Pacta unilateralia non solum obli-  
gationes involvunt, quae vel in faci-  
endo vel in dando consistunt, sed etiam  
quae in patiando.

D 2

Primo

Primo loco ergo fingamus, obligationi suae promittentem satisfecisse.

Si promittens *factum* iam praestitit, poenitentia cogitari nequit, quia facta infecta fieri nequeunt.

Possibilis contra poenitentia est, si obligatio in dando consistit. Tunc res tradita repeti potest, sed non nisi ex iusta causa, si nempe poenitentiae causam is, qui rem accepit, dederit a). Quod si *in patiando* obligatio consistit, tunc solus obligatus, qui patitur.

Poenitentia tunc uno respectu vel possibilis est, si res in pristinum statum reduci potest; vel impossibilis, si contra. Altero respectu vel licita est, promissarius promisso indignus factus vel illicita, si contra.

Secundo loco promittentem obligationi nondum satisfecisse fingamus. Hic supra iam allegata distinctio iterum locum habet, utrum nempe promissarius promisso indignus factus, an non & quidem argumento principiorum revocandis donationibus. Nam si e. rem donatam ex capite ingratitudinis

a promissario erga me commissariae repetere mihi licet, eo magis mihi licebit, rem adhuc non nisi promissam ex hoc capite non tradere.

- a) Arg. theoriae de donationum revocatione, excluso omnino casu supervenientis proles & familiarum.

§. 32.

*Quid iure hodierno de poenitentia valet?*

Hodie ex omni pacto deliberato animo inito, i. e. ex solo consensu obligatio oritur, excepta omnino literarum obligatione a). Hodie ergo cum essentialis differentia inter contractus consensuales & tales, qui non solo consensu perficiuntur, nec non inter nominatos & innominatos cesset, poenitentia non nisi in eo casu licita est, quo alter paciscens ei ansam dederit.

- a) STRYK U. M. L. 2. T. 14. §. 7.

§. 33.

*Num unilateraliter dissentire idcirco liceat, quia alter paciscens nihil utilitatis ex pacto percepturus est?*

LEYSER a) ait: *Pacta utilitatis humanae causa ineuntur. Quodsi itaque nulla ex iis in alterum utilitas redundet, promittens ad ea servanda non obligatur.* Dubito autem, an dissensus unilateralis defendi possit ex eo, quia alterum implementum pacti haud iuvat. Pacta quidem utilitatis humanae causa inventa esse, non nego; regulam vero: cessante ratione, cessante effectum, hanc ad causam applicabilem esse, nego, quatenus iis legibus quibus illustrissimi Leyser conclusum nititur, minime res conficitur. Fieri enim potest, ut alter paciscens fine celet, ad quem consequendum pactum inierit. Probatio igitur, alteri implementum pacti inutile esse, quae dissentienti absque omni dubio incumbere vix semper possibilis foret. Lex



ill. Leyfer allegata b) non probat the-  
 sia ipsius, sed potius in utilitatem rei-  
 publicae lata est, cui impedimenta nu-  
 ptiarum nocent.

Ad regulam de hac re ponendam  
 potius distinguenda sunt pacta, per  
 quae aliquid praestare obligamur, ab  
 illis, vi quorum ad omittendum aliquid  
 obligationem in nos recipimus.

Praestationes raro inutiles sunt. Ad  
 obligationes, quae in omittendo con-  
 sistant, spectant verba L. 61. D. de pa-  
 nis: Ne sibi in suo sepelire mortuum  
 liceat: aut re vicino invito praedium  
 alienet.

Verba initialia huius legis utilita-  
 tem reipublicae concernunt.

a) in sec. 40. m. 5.

b) L. 2. C. de ind. viduit, & Leg. iul.  
 misc. toll.

## Theses.

1. *Iure naturae omnia pacta bilateralia sunt realia, unilateralia vel consensualia.*
  2. *Laesio enormis non est laesio ultra alterum tantum, sed ultra dimidium.*
  3. *Charta publice signata, vulgo Stempelpapier, ad instrumenti validitatem nihil confert.*
  4. *Pacta de ineundo contractu obligationes non minus efficaces hodie producunt, ac si contractus consensuales initi forent.*
  5. *Non dantur quasicontractus, sed vero obligationes quasi ex contractu.*
  6. *Quod de remissione mercedis in §. 2. initio D. locati conditio valet, iniquum est.*
  7. *Tortura non plane abroganda.*
  8. *Principi competere ius aggratiandi, omni quidem dubio caret, num aequum sit tale ius, in dubio voco:*
-

Göttingen, Diss., 1796-97

ULB Halle


005 303 338

3



SB





Farbkarte #13

B.I.G.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
IVRIDICA  
PRINCIPIA GENERALIA  
DE CONSENSU  
CONTINENS

~~597~~  
1797, 3  
15

QVAM  
AVCTORITATE  
ILLVSTRIS IURECONSULTORVM  
ORDINIS  
IN  
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
AD  
SVMOS IN VTROQVE IVRE RITE  
OBTINENDOS HONORES  
DIE XVIII. SEPT. MDCCXCVII.  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR  
CAROLVS LVDOV. RVDPHVS  
L. B. de GEBHARDI  
BRNOVICENSIS.

GOTTINGAE  
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

